

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0509

0507

0513

0503

0518

0498

0558

0458

0608

0408

1008

0008

Ende

Anfang

494

monasterium constructum fuit in honorem gloriosissimae virginis  
Mariae in loco, ubi Moyses vidit rubum. Duo enim genera  
monachorum desertum occupabant: quidam erant coenobitae,  
in monasteriis simul regulariter Deo servientes; horum vivendi  
regulam accepit S. Pachomius ab angelo in tabulis aeneis  
conscriptam, quae habetur in Speculo histor. L. 18. c. 82.  
Alii erant anachoretae, singulariter viventes, omne humanum  
consortium fugientes, penetralia deserti lustrantes, in cavernis  
terrae habitantes. Singulariter autem in deserto Synai erant  
multi utriusque generis monachi devoti. Porro in monasterio  
sub monte Oreb erat pater monachorum, vir bonus, cui ali-  
quotiens in mentem venit, ut cum monachis suis exiret et  
per solitudinem sanctos quaereret, et tum distulit. Quadam  
vero nocte accepit in somnis, ut mane cum monachis suis  
egrederetur et inveniret thesaurum orientalibus et occidenta-  
libus desiderabilem. Mane facto omnibus suis monachis con-  
vocatis et voto eis exposito in desiderium quaerendi thesa-  
rum corda eorum vehementer accendit et egressi simul  
vagabantur per deserti devia incerti, sed multum incensi, et  
perlustrabant foramina petrarum, speluncas montium, rupium  
scissuras perambulabant, montes et valles et torrentes per-  
scrutabantur. Interea Deo duce ad quoddam antrum pervene-  
runt et altam quandam rupem et in eo senem monachum in-  
venerunt, cujus vultum numquam prius viderant; qui dum  
interrogaret monachos, quid vellent (b) et quid quaererent,  
dixerunt: thesaurum quaerere divina jussione venimus deside-  
rabilem orientalibus et occidentalibus. Ad haec senex: et ego  
ad idem faciendum saepe sum admonitus, sed timens fallacias  
inimici usque nunc distuli, jam vero securus vobiscum ibo ad  
quaerendum. Ad quem monachi: Et ubi putas quaeremus?  
Respondit: Ecce, in monte hoc altissimo vidi frequenter lu-  
mina clara, splendentia et non dubito, quin aliquid divinum  
ibi lateat, sed quia inaccessibilis locus est prae altitudine  
ascendere non praesumsi, nec majestatem Dei ex monte relu-  
centem solus perscrutari ausus fui, nunc autem simul perga-  
mus, adscendamus et quaeramus. Erat autem mons ille mons  
S. Catharinae, ad quem numquam homo ascendit ante hoc  
tempus. Perrexerunt ergo simul et cum multis laboribus et

